

† R. P. Alexander Mc Neil (1904-1951)

(Prov. Tor.)

Familia Mc Neil ex insula Scotiae Bara, tempore pseudoreformationis per semisaeculum omni sacerdote catholico orbata, donec S. Vincentius de Paula Hibernum mitteret, quondam emigravit in Novam Scotiam, in extremo oriente Canadensis terrae sitam. In oppido Inverness, Cape Breton, Alexander noster natus est 1 Iun. 1904. Fuit primus Redemptorista huius regionis, sed interim iam circ. 12 sequaces habuit, quorum duo nunc in longinqua Iaponia pro dilatando regno Christi laborant. Studens litteris in Universitate Antigonish, N.S., Alfonsianae familiae se aggregare constituit. Vota emisit, annos natus 20, festo S. Alfonsi 1924 in Saint John, N. B., et 16 Iun. 1929 in studentatu Esopus sacerdotis dignitatem consecutus est.

P. Mc Neil in Provinciae annualibus vivet ut magnus et zelantissimus missionarius. Hanc suam operam a. 1933 incepit in Saint John, N. B. Peragravit hic eloquens Evangelii praeco provincias New Brunswick et Prince Edward Island et Nova Scotia et Cape Breton, suorum avorum terram. Nil referebat, utrum missio esset magna an parva; Patri Mc Neil omnis missio erat hic et nunc negotium omnium maximum. Accidit ut per quinque, octo, decem hebdomades solus et sine intermissa quiete praedicaret. Confratri maiorem virium moderationem consulenti dixit: « Quomodo opus missionale abrumpere queam, cum tot animae salvandae sint? cum tot homines suam missionis confessionem peragere cupiant? ». Condiscipulus eius R. P. Eduardus Meyer, qui hoc in sermone funebri narrat, refert aliud eiusdem defuncti dictum: « Si post magnam concionem missionalem vespere ante SS. Sacramentum expositum oras, nonne tunc videris tibi ultimum totius vitae actum contritionis elicere? ».

P. Mc Neil, qui a. 1939 magnae communitati S. Annae Marianopoli praepositus fuerat et a. 1943 communitati Corner Brook, Newfoundland, a. 1947 sponte petivit a Superibus, ut suas sacras expeditiones ad vastissimas regiones occidentales extendere sineretur. Sic itaque potens eius vox missionalis personuit ab insula Newfoundland ad insulam Vancouver, ab Oceano Atlantico ad Oceanum Pacificum.

Inde ab Aprili 1949 adscriptus erat domui East Kildonan, Manitoba, et ibi syncope cardiaca festo Immaculati Cordis B. M. V. hunc zelantisimum missionarium 47 annorum velut fulmen prostravit. Praedicarat XL Horas in North Dakota, USA. Domum reversus meridie illius diei, vespere repertus est in suo cubiculo exanimis. Volente ita Pl. R. P. Provinciali D. Ehman, cadaver delatum est ad residentiam provincialem To-

rontum, ubi funus persollemne habitum est d. 27 Augusti. Ipse Episcopus Auxiliarius Torontinus, praesente Episcopo Peterboroughensi ac magna confratrum aliorumque sacerdotum caterva, Missam exsequialem cantavit. Sepulturae in caemeterio Mount Hope praefuit Superior Provincialis P. D. Ehman. Damnum magnum, quod Provinciae obvenit, Deus omnipotens alia via reparet.
